


1/97

IDIBVS IVNIIS

MCMXCVII



RVMOR VARIVS



IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Certe multum tempus hunc libellum, primum huius anni, RUMORIS VARIUM iam exspectavistis et desideravistis. Causa retardationis haec fuit: Primum omnia scripta RUMORIS VARIUM computatri auxilio confecimus et ad divulgandum praeparavimus. Quod instrumentum utilissimum mihi videtur ad scripta conficienda, emendanda, immutanda, alio modo tractanda, sive litterae maiores vel minores fiant, sive scriptura crassa vel tenuis vel inclinata fiat, - talia et multa alia facile effici possunt.

Mutatione perfecta ceteros libellos celerius editum iri speramus, si - id est condicio, sine qua non! - vos, cari legentes, nobis symbolas ad divulgandum mittatis!

Nuper multa legere potuistis de illo computatro scacis ludente nomine 'Deep Blue', qui una secunda 200 miliones positiones computare potest, quae res mente humana vix imaginari potest. Certamine sex ludorum illa machina hominem illius ludi regii peritissimum nostra aetate, Garri Kasparov(um), 3,5:2,5 vicit.

Tamen mentem humanam computatri potestate nondum omnino victam esse puto. Illud certamen brevius fuit, quam ut res finaliter decreta esset. Praeterea Garri Kasparov non optime lusit: In certaminis secundo ludo analysis post ludum patefecit Kasparov(um) positionem omisisse, in qua puncta aequabiliter divisa (vulgo: remis) assequi poterat! Et in ultimo ludo, quo certamen decretum est, Garri Kasparov ipse confessus est se male lusisse. Sed ea est differentia inter computatrum et hominem: Illud variis affectibus animae non est subiectum, sensibus non commovetur: semper aequa condicione tractus peragit. Homini autem anima est, non omnibus diebus aequae sentit: perturbari, aegrotare, cogitationibus de aliis rebus ab ludo avocari et deflecti potest. Itaque haec fieri puto: Homini, si maximo ingenio ludit - quod Garri Kasparov interdum (sed non semper, quia homo est) potest - facultas est computatrum vincere; sin male ludit homo, necessarie vincitur.

Alia res maior quam ut mente humana omnino concipi vel intellegi posset, mensibus Martio, Aprili Maioque incipiente in caelo observari potuit,

quasi miraculum a natura nobis praebita: Noctibus claris ille cometes nomine 'Hale-Bopp' lucens sine telescopio oculis ipsis videri potuit. Quis capitis et caudae eius magnitudinem, quae milionum chiliometrorum est, et velocitatem immanem, qua vehitur, imaginari possit?

Ante 2500 fere annos, si eodem cursu semper vehebatur, fortasse 'Hale-Bopp' prius in terra nostra videri potuerat, illa aetate, qua in civitate Atheniensium Cleisthene auctore illa constitutio primum instituta est, quae Graece democratia (δημοκρατία) nominatur, et qua Romae ultimo rege Tarquinio Superbo fugato res publica inducta est.


Si rationes astronomorum verae sunt et nihil cometae cursum turbat, post alios 2500 fere annos 'Hale-Bopp' iterum mundum nostrum visitabit. Qualem mundum, qualem statum terrae nostrae inveniatur, si mundus noster ad illud tempus maxime remotum omnino exstabit?

Valete!

Daniel Weissmann

Res variae et mirae de bestiis

'Excursio' halmaturi nani (1)



Fridericus ('Fred')

et

Eva


Aestate anni praeteriti in oppido 'Savognin', quod in Grisonum pago (Graubünden) Helvetico situm est, halmaturus nanus, qui Fridericus (breviter: 'Fred') appellabatur, e circo nomine 'Nock' effugit. Operarii circi

Fridericum quaerentes auxilio sociae eius, halmaturae nanae nomine

Evae, quae socium desiderare et tristis esse videbatur, eum allicere et iterum capere conati sunt.

Primum autem res non successit. Nemo sciebat, ubi 'Fred' versaretur. Vel nuntiatum est autoraedarium eum in pago Helvetico nomine 'Thurgau' vidisse. Uno mense post, cum iam metuebatur, ne 'Fred' non iam viveret, classis scholaris eum denuo in regione oppidi 'Savognin' vidit. Statim et curator ferarum et photographus profecti sunt et revera Fridericum invenerunt. Sed ictu iniectorii narcotici (2), quod curator ferarum misit, 'Fred' non tactus est et iterum fuga salutem petivit. Postremo autem 'Fred' salvus in circum 'Nock' revertit et captari potuit: Eva socia tandem eum allexit, et feminae illecebris resistere non potuisse visus est.

Vehiculum vivum



In therotrophio nomine 'Maksimir' Zagabriae (Zagreb) in Croatia simia generis 'macaca mulatta' (nostra lingua: Rhesusaffe) extraordinarium vehiculum elegit: In dorso testudinis magnae, quae 130 chiliogrammorum est, vehitur, et simiam tutam se sentire apparet. Testudo pondus simiolae vix sentire neque turbari videtur. Adhuc non conata est vectorem decutere.

Cave simias!


In vico 'Landskron' prope Villacum (Villach) in Carinthia (Kärnten, Austria) sito 40 fere simiae generis 'Makake' e therotrophio fugerunt. Autoraedarii ibi praetervehentes valde mirati sunt, cum subito praeter viam autocineticam simias viderent, qui salientes viam autocineticam transgrediebantur et in muris ad strepitum autoraedarum minuendum exstructis persultabant; aliae magno gaudio et voce rauca clamitantes in arbores iuxta viam autocineticam sitas ascenderunt. In simiis persequendis custodes publici inferiores erant. Curator simiorum quidam unam ex

simiis capere potuit, sed aliae e turba eum aggressae sunt et ita sociam suam liberaverunt. Paulatim nonnullae simiae captatae sunt. Una earum quidem viam autocineticam transgressura e parva silva ex improvise tam celeriter prosiliens, ut autoraedarius collisionem nullo modo evitare posset, autoraeda obtrita est.

Dubium est, num omnes simiae iterum capi possint. In illa regione enim multae silvae et prata sunt, ubi latebrae et confugia simiis praebentur.

Resurrectio anatum

In vico 'Cuza Voda' in Dacoromania (Rumänien) rusticus nomine Vasile Sterian valde miratus est, cum anates suas, quas defunctas esse putabat, subito iterum laetas in aula clangere audivit. Ut acta diurna Dacoromana 'Evenimentul Zilei' nuntiaverunt, anates aliquo die exanimae in aula iacebant, et rustici uxor eas in locum purgamentorum deponendorum apud fluvium 'Calmatuiu' apportavit. Sed ibi anates non requiem aeternam in pace agebant, sed crapulam edormiebant et ex ebrietate recreatae sunt. Nam non mortuae, sed graviter ebriae erant, quod in horto reliquias alcoholicas, quae post aquam ardentem confectam ibi restiterant, comederant. Crapula edormita anates laetae domum redierunt.




Vacca ebria

Tres dies vacca nomine 'Brazulja' in vico 'Medna' in Bosnia (Bosnien) occidentali sito pedibus stare non potuit: Nam VIII litras illius aquae ardentis nomine 'Sliwowitz' potaverat. Ut acta diurna Singiduniensia (Singidunum: Beograd) nuntiaverunt, rusticus aquam ardentem 'Sliwowitz' confecerat, cum subito fluidum electricum defecit. Tenebris factis uxor rustici,



Mileva, per errorem pro amphora aquae merae amphoram aquam ardentem continentem cepit et vaccae in stabulum apportavit.

Vacca contra custodem publicum pugnans



Custos publicus, qui in via autocinetica vaccam, quae effugerat, retinere voluit malum pretium animi sui nactus est: Vacca enim sine reverentia et verecundia auctoritatis publicae custodem legum cornibus in altum iecit. Sed ei nihil profuit. Auxiliis arcessitis custodes publicii viribus unitis vaccam tamen captaverunt.

Familia anatum in via autocinetica

Autoraedarius in via autocinetica in pago superiore Bernensi (Berner Oberland) Helvetico sita familiam anatum, quae errans in via strata vadebat, observavit. Per telephorum custodes publicos advocavit, et eorum duo venerunt et anates media in via autocinetica alteram viam iam audacter transgressas et miro modo incolumes invenerunt. Tum custodes publici matrem et octo anaticulas certe e periculi regione persecuti sunt. Cum parvae per saepem in loca tuta perlaberentur, matri custodes publici 'persuaserunt', ut super saepem ad liberos suos volaret.

Mirus aper bipes

Autumno anni praeteriti vir 40 annorum in colle apud vicum 'Bex' in Valdensis pago (Waadt) Helvetico castaneas colligens a venatore sclopeti ictu vulneratus est et helicoptero in nosocomium universitatis Lausionum (Lausanne) translatus est. Venator miser dixit se virum vestitu fusco indutum aprum putavisse.

Capra loquens

Apud Portum Elisabethanum (Port Elizabeth), urbem in Africa Australi (Südafrika) sitam, capra, quae loqui dicebatur, stuporem et tumultum effecit. Homines superstitiosi affirmabant capram esse virum, qui ab mercatoribus e Simbabwe (Simbabwe) carminibus magicis in aliam naturam conversus esset, quod aes alienas non solvisset. Custos publicus narravit se capram alloqui conatum esse, sed eam sibi non respondisse.

Ursus per urbem ambulans

Vindobonae (Wien) in Austria ursus octo annorum unam horam vicum urbis turbavit et inquietavit. In ambulatione sua tres homines momordit. Ex locis circi 'Golden Globe' effugerat et primum ad viridarium publicum se contulit, ubi culum viri, qui ei occurrit, momordit. Tum ursus per vicum ambulavit et, postquam paulum restitit, postremo more Indianorum tubulo flaturali (3) et sagitta narcotica tranquillari et a curatoribus ursorum in circum reduci potuit.

Elephanti in statione ferroviaria relict

Ulmae (Ulm) in Germania in statione ferroviaria operarii circi cuiusdam quattuor elephantorum obliti sunt. Cum moderator vecturae id per telephorum custodibus publicis in oppidum 'Biberach', ubi circus verfabatur, nuntiaret, illi primum iocum esse putabant. Sed officialis ferroviarius asseveravit quattuor elephantos revera in curru in statione ferroviaria stare et magna fame opprimi et valde inquietos iratosque videri; se nescire, cur homines circi illius currus obliti essent; sed elephantos in circum in oppidum 'Biberach' transportari oportere; se currum proximo tramini onerario ad oppidum 'Biberach' profecturo adiuncturum esse, sed oportere custodes publicos ibi homines elephantorum peritos missuros. Custodes publici 'rem inventam' curaverunt. Autoraeda lumine caeruleo ornata elephantis fame oppressis et iratis pabulum ad stationem ferroviariam 'Biberach' veherunt. Fame depulsa elephanti iterum contenti ad circum ducti sunt.

Amator ursis feminis oves rapientibus



In confinio Francogalliae et Hispaniae ursa nomine Melba animos hominum commovebat. Nam ursa e Slovenia importata oves rapere quam - ut magistratus Hispanici optaverunt - prolem procreare maluit. Magistratus regionalis Cataloniae (Cataluña) rusticis Francogallis, quibus Melba in regione inter Ariegum (Ariego) et Garumnam Superiorem (Haute Garonne) oves rapuisse dicebatur, damnum sarcire coepit. Tamen rustici contra ursam profecturi arma ceperunt. Sed Hispanici magistratus numerum ursorum in Pyrenaeis montibus augere desinere nolunt. Quod Melba et alia ursa Slovena nomine Ziva adhuc ursum 'maritum' nondum invenisse videntur, animi ursarum commoveantur, ut plus de amore quam de ovibus rusticorum cogitent: Magistratus duos ursos mares collocari in animo habent.

A simia morsus



Pekini (Peking) familia Sinensis magno tumultu ante domum orto sollicitata portam aperuit et simiam saevientem invenit. Simia, generis 'cercopithecus athiops' (nostra lingua: Grüne Meerkatze), rarissima species, quae toto in mundo paene omnino extincta est, praeter dominum stupefactum summa velocitate in domum irruit et filium parvum domini agressa est. Dominus Liang filium suum defendebat, sed simia crines eius traxit et manum momordit, ut dominum Liang in nosocomio medicum consulere oporteret. Postremo viribus unitis et vicinis adiuvantibus familiae Liang successit simiam furem in cupa figlina in xysto includere. Ibi simia propter nimium frigus animam efflavit. Praefecti therotrophii, qui nesciebant, unde illa simia venisset, eam effeciri et exponi decreverunt.

Simia et fur

Callidior et celerior quam dominus suus simia furax in India fuit. Ut acta diurna 'The Asian Age' nuntiant, simiae successit custodes publicos effugere, cum dominus praedam ablaturus captaretur. Simia a domino suo condocefactus erat non modo, ut domino effracturas committente vigilaret, sed etiam, ut - si necesse erat - ipsa adiuvans manum iniceret. Itaque simia nunc domino capto privata optime erudita videtur, ut sola bonam vitam agere et vario modo victum sibi parare possit.

(Fons: Acta diurna Bernensia 'Der Bund')

Daniel Weissmann

Vocabularium:

1 halmaturus nanus	Zwergkänguruh / kangourou nain / canguro nano / canguro enano / wallaby
2 iniectorium narcoticum	Betäubungsspritze / seringue anesthésiante / iniezione narcotica / jeringa narcótica / stunnung shot
3 tubulus flaturalis	Blasrohr / sarbacane / cerbottana / cerbatano / blowpipe

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino XV fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:

Ursula Umer
Schwandenstr. 6
8802 Kilchberg

Estelle Gitta
François-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


Brian R. Bishop
155 Leighton Avenue
Leigh-on-Sea, Essex
SS 9 1 PX, GB

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1	2	3	4	5	6	7	8					
M	O	N	U	M	E	N	T	A				
9	I	R	E	10	U	T	11	R	E			
12	S	I	M	13	I	L	I	T	E	R		
E	14	I	S	T	A	15	S	I				
R	N	16	A	M	A	17	S					
18	19	I	D	E	M	20	21	22	R	A		
23	C	O	M	I	T	24	25	I	B	U	S	26
27	O	28	H	O	N	O	R	E				
29	R	E	D	I	T	30	31	32	R	E	X	
33	D	U	O	34	I	N	E	A	T			
36	I	M	37	T	U	O	38	I				
39	A	40	I	U	S	S	I	T				

Aenigma



ad libram →







- 1 conditor Romae urbis
- 2 insula Calypsonis nymphae
- 3 sententia sine verbo (definitio grammatica, lingua Germanica)
- 4 filia Latonae deae
- 5 deus Romanus

ad perpendicularum ↓

- 1 rex Cretae insulae
- 2 rex Troiae
- 3 filia regis Cretae
- 4 fluvius, apud quem Romani a Gallis superati sunt
- 5 regina Aegypti
- 6 locus Africae, apud quem Scipio Hannibalem vicit (anno 202 a.Chr.n.)
- 7 incola patriae Ulixis (dat.)
- 8 coniux regis Spartaee

Si litteras in quadrulis aenigmatis parvis litteris significatis in apta quadrula rava sub aenigmate sita transtuleris, claram sententiam Latinam invenies!

Hoc aenigma composuit **Mara Brizzi**



Facete lepideque dicta

Miranti olim homini bene noto aliquis occurrit atque: "Quo modo", inquit, "autocinetum tuum vetus, quod nuper emisti, se habet? Quot chiliometra? - "Centum sexaginta." - "Pro di immortales! Centum sexaginta chiliometra horalia?" - "Nullo modo, amice! Centum sexaginta chiliometra vectum est, priusquam animam efflaret!"

Otto ille, quem viarum terrorem vocant, velocitate ducentorum chiliometrorum horalium per urbem vectus a vigilibus publicis retinetur. Vigil: "Statim, mente capte, mihi redde licentiam tuam vehendi!" Tunc Otto: "Quid hoc sibi vult, domine? Licentiam meam vehendi septimana praeterita cuidam e collegis tuis iam reddidi. Incredibile, qualis chaos apud vos vigiles regnare videatur!"

Nocte media iam praeterita vigil publicus virum quendam lente per viam progredientem spectat et interrogat: "Quo, domine, tendis?" Qui: "Ad relatum audiendum eo." Tunc vigil: "Ne stultitias narres, domine: Hoc noctis tempore nusquam relatus exhibentur." Ad quae vir: "Non novisti uxorem meam!"

In vigilum publicorum officina autoraedarius quidam iubetur: "Hanc lineam sequere, domine!" - Qui: "Utram? Dexteram aut sinistram?"

Celsus examen vehendi subiens a magistro interrogatur: "Quid facies, si complures sagittas in via strata aspectaveris?" Celsus: "Summa velocitate vehens Indianos effugere conabor."

Autocineticus quidam mechanicus quadraginta quinque annos natus diem ultimum obit. Quem sanctus Petrus apostolus ante caelorum portam comiter accipit et salutat. Mechanicus autem: "Cur me iam ante tempus mori iussistis, caelum regnantes?" Tum Petrus: "Noli queri, amice! Si horas operarias, quas clientibus tuis indicavisti, perspectaveris, bene animadvertes te iam centum quinquaginta quattuor annos esse natum!"

* * *

Malefico iudex: "Hic sunt duo testes, qui viderunt te inebriatum autocinetum esse vectum." Tunc reus: "Nil valet, domine iudex. Tibi centum testes arcessere possum, qui me non viderunt."

Inga maritum, qui ter iam inebriatus autocinetum vectus a vigilibus publicis captus et a iudice condemnatus est, in carcere adit. Subridens marito: "Numquam", inquit, "tam bene dormivi quam nunc!" - "Cur hoc?" ille mirans ex ea quaerit. Inga: "Facile dictum: Tandem scio, ubi noctu sis!"

Renatula cum patre per viam autocineticam infinitam vehitur. Fastidio capta interrogat: "Papa, quanta velocitate veheris?" - "Centum triginta chiliometrorum horalium." - "Papa, cur semper in sinistra viae parte veheris?" - "Quod, qui in dextera parte vehuntur, nimis lenti sunt." - "Papa, quot benzinae litra in receptaculo sunt?" - "Triginta fere litra." - "Papa, quam longa est via autocinetica?" - "Furcifer! Tandem stultis his quaestionibus desine me enervare. Si non, mente capiar!" - "Papa, si mente captus eris, licebitne mihi te in nosocomio psychiatrico adire?"

Indigenam rusticum viator interrogat: "Quot annos haec vacca nata est?" - "Duos annos." - "Ex quo hoc vides?" - "E cornibus." - "Quam sum stultus", tunc viator exclamat, "vacca scilicet duo cornua gerit!"

Alienus rustico: "Num opera valet vaccas alendi? Nostra enim aetate lac in pyxidibus emi potest."

Maximilianulus urbanus primum vaccarum stabulum visitat. Rusticus gloriari: "Dic mihi, puer, nonne aspectus pulcher tibi hic praebetur?" Ad quae Maximilianulus vaccas ruminantes bene observans: "Certe aspectus pulcher est, sed sine dubio magni constat pretii vaccis cottidie tantam cummis manducandae copiam dare."

* * *

Mugientes vaccae capita concutiunt, quod Ilsa, earum collega, in dies fere decrescit. Tandem quaedam: "Scio, unde hoc fiat. Ilsa tam superstitiosa est, ut trifolia quattuor folia gerentia tantum comedat."

Inter duorum liberorum vicinorum colloquium: "Vacca nostra cottidie duodecim litra lactis dat." - "Bene. Et quo modo lac usurpatis?" - "Duo litra ipsi bibimus, sedecim autem litra pater vendit."

Curtius agricola vicinum adit querens: "Vacca mea aegrotat." Vicinus: "Doleo." - "Tua vacca, nisi fallor, nuper etiam aegrotabat." - "Sic." - "Quid egisti?" - "Petroleum aquae infudi." - "Gratias tibi ago plurimas!" Tribus diebus post Curtius furibundus vicinum iterum adit: "Vacca mea petroleo isto interfecta est." Tunc vicinus: "Mea quoque."

Hilarem per silvam Bavaricam ambulans feriarum hospitem ex improviso aper saevus persequitur. Vir currit, donec vires eum deficiant. Tunc collabens ictum apri letiferum exspectat. Nihil autem accidit. Hospiti miranti aper subridens: "Satin quievisti? Pergamus!"

Aratrum in bove trahente musca sedet. Tunc alia musca advolans interrogat: "Quid facis?" Prima musca: "Noli me perturbare. Aramus."

Ericam sponsam in urbe habitantem rusticus iuvenis per agros comitatur. Vident vaccam matrem vitulo nares tenere fricantem. Iuvenis gemens: "Hoc ego quoque libentissime facerem!" Tum Erica mirans: "Cur non facis? Vacca tua est, nisi fallor."

Lamentans cliens ad televisiorum venditorem: "Televisorium nostrum novum sono indiget." - "Quid, domine? Hoc post quattuor septimanas tantum animadvertisti?" - "Scilicet post quattuor septimanas animadverti. Habitamus enim in domo complurium familiarum. Vicini nostri heri profecti sunt, ut feriis fruerentur."

Martin Meier



Proverbia Hispanica

El lobo no come carne de lobo.

Lupus carnem lupi non comedit.

*

El amor y la fe, en las obras se han de ver.

Amor et fides factis ostendendae sunt.

*

Para quedar mal no necesitas ayuda.

Ut in malis sis, auxilio tibi opus non est.

*

Algo bueno trae la adversidad consigo: que sabe el hombre si le queda algún amigo.

Res adversae aliquid boni afferunt: Homo cognoscit, num amicus sibi supersit.

*

Más valen amigos en la plaza que dineros en el arca.

Amici in loco praesentes plus valent quam pecunia in arca.

Mal que se comunica, si no se cura, se alivia.

Malum, quod communicatur, etiamsi non sanatur, tamen levatur.

*

Aquellos son ricos que tienen amigos.

Illi divites sunt, quibus amici sunt.

*

Como no soy río, atrás me vuelvo.

Cum fluvius non sim, retro me verto.

*

La cara es el espejo del alma.

Hominis vultus speculum animae est.

*

El avaro de su oro no es dueño, sino esclavo.

Avarus auri sui non est dominus, sed servus.

*

Aunque el perro tiene cuatro patas, no puede andar a la vez por cuatro caminos.

Etiam si canis quattuor pedes sunt, tamen in quattuor viis simul ire non potest.

*

A la luz de la tea no hay mujer fea.

Luce facis mulieres foedae non sunt.

*

Por besos y abrazos a nadie han ahorcado.

Amplexuum basiorumque causa nemo suspensus est.

El saber no causa hartura.

Scire satietatem non affert.

*

Amigo no fue el que lo dejó de ser.

Amicus non fuit, qui desiit amicus esse

*

Nadie es tan ignorante que no sepa algo, ni tan sabio que lo sepa todo.

Nemo tam inscius est, ut non aliquid sciat, nemo tam sapiens, ut omnia sciat.

*

Cuando el diablo no tiene qué hacer, con el rabo mata moscas.

Diabolus cum nihil habet, quod agat, cauda muscas interficit.

*

Preguntando preguntando sabe el necio más que el sabio.

Requiritando iterum iterumque nescius plus scit quam sapiens.

*

A un lobo con verlo lo conoces, y no en diez años de trato a un hombre.

Aspiciendo lupum cognoscis, non autem hominem per decem annos eo familiariter usus.

La mona, aunque la vistan en seda, mona se queda.

Simia, etiam si sericis vestitur, simia manet.

*

El hambre despierte el ingenio.

Affert ingenium fames.

*

Quien adelante no mira, atrás se queda.

Relinquitur, qui protinus non prospicit.

*

Quien a mi casa no viene, en la suya no me quiere.

Ad domum meam qui venire nolit, in sua quoque domo me accipere nolit.

*

Tres españoles - cuatro opiniones.

Hispanici tres - quattuor sententiae.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



De bestiarum pestilentia

Omnibus temporibus pestilentia bestiarum ab hominibus metuebatur, semper metuitur. Fontes antiquissimae, quibus morbi graves bestiarum referuntur, in Biblia apparent. Ibi Iehova Aegyptiis, qui populum Iudaicum in servitute tenent, vexationes decem infligit, quarum nonnullae ad bestias attinent. Vexatio quinta libro Moysis secundo indicta hoc modo describitur: "Ecce manus mea erit super agros tuos et super equos et asinos et camelos et boves et oves pestis valde gravis." (2, IX, V, 3).

Vexatio sexta ad homines et equos pertinet: "Erunt enim in hominibus et iumentis ulcera vesicaeque turgentes factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et iumentis." (2, IX, V, 9).

Ovidius poeta pestilentiam queritur, quae insulam Aeginam depopulabatur. Primo canes, aves, boves feraeque morbo afficiebantur, tum pecus totum agricolaeque et urbani (Met. VII, v. 536 ff.).

Saepe autem de morbis agitur, quibus et homines et bestiae aequaliter affliguntur. Silius Italicus poeta pestem quandam memorat, qua anno a.Chr.n. ducentesimo duodecimo exercitus Romani Poenique inter se pugnantes in Sicilia exstinguebantur. Bestiae primo, tum homines morte afflicti sunt. Signa pestis eius morbo sanguinis venenati similia sunt: Lin-

gua aret, corpus frigore tremulo quatitur, tussis aspera pulmones vexat, sanies cruore immixta expuitur, membra pereduntur. Mors sequitur. Neque dei neque homines arcere possunt.

Lucretius Carus quendam 'ignem sacrum' describit. Morbus is quoque apud Vergilium apparet. Lucretius hoc dicit:

"Existit sacer ignis, et urit corpore serpens
quamcumque arripuit partem, repitque per artus.....
Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
corpus, ut est, per membra sacer dum diditur ignis"

(De rerum natura VI, v. 660 et v. 1166)

Sunt autem alii morbi, qui nullo modo cum morbis aetatis nostrae congruuntur, velut quaedam caprarum pestilentia a Columella descripta. Primis p.Chr.n. saeculis pestilentia ab Ovidio poeta relata semper saeviebat. Anno centesimo tricesimo Italiam invasit et ingentem copiam hominum bestiarumque morte affecit. Constat pestilentiam boum demum saeculo quarto exeunte notam fuisse. Ex oriente proveniens morbus iste Belgas, Pannonios, Illyrios, tum Romanos vexavit. Saeculo quinto iterum in Europa apparuit.

Barbara Maier



De mulomedicis

Aesculapius deus patronus et hominum et bestiarum erat. Constat mulomedicos prope templa illius dei bestias aegrotas curavisse. In insula Tiberis prope aedes Aesculapii reliquiae corporum bestiarum defossae sunt. In nummo quodam aere facto Aesculapium sedentem videmus; pedem dexteram canis manu tenet. Tertio p.Chr.n. saeculo Elianus sophistes librum de bestiarum natura scripsit. Narrat equitem nomine Lenianum cum equo suo Serapidis templum intravisse et a deo multis cum

lacrimis bonam valetudinem equi petivisse. Deus preces equitis clementer exaudivit et aquam calidam ad equum curandum, qui oculo vulnerato vexabatur, suasit.

Mulomedici iuvenes apud collegas peritos artis causas plurimas discebant. Mulomedici saepe libertini erant, qui haud raro in honores ascendebant. Officiis privatis publicisque praeerant. Nonnulli mulos equosque cursus imperialis curare debebant. Permulti apud exercitus officiiis fungebantur more militum stipendium accipientes. Erant quoque veterinaria, ubi bestiae aegrotae aut vulneratae curabantur. Inter medicos, quibus bestiarum valetudo curae erat, medici pecuarii nominandi sunt. In coloniis Romanis laborabant. Inscriptio haec prope Coloniā urbem reperta est:

D M
IOCTANNO
MEDICO PEQ
ET INNANA

Id est: Medicus pacuarius nomine Ioctannus et mulier (vel mater?) eius Marti (vel Mercurio?) deo domum dedicant.

Barbara Maier



Hymnus Mariae

Nuper inveni hymnum decimo quinto p.Chr.n. saeculo compositum. Est hymnus, quem Maria, Dei mater, infantem in cunis cubantem movens cantabat.

Dormi, Iesu, mater ridet,
quae tam dulcem somnum videt,
dormi, Iesu blandule.
Si non dormis, mater plorat,
inter fila cantans orat:
"Blande, veni, somnule."

Barbara Maier

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur


PP/Journal

4702 Oensingen

1/97

IDIBVS IVNIIS

MCMXCVII



RVMOR VARIVS



TOMVS 20

FASC. 117